

176

358, 2

276

DIATRIBARUM
DOMESTICARUM
DECAS II.

QUAM

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi JCtorum Ordinis in Academiâ Salanâ,

PRÆSIDE

JOHANNE SCHRÖTERO,

OSTERBURGO-MARCHICO,

DEFENDERE CONABITUR

GEORGIUS BONTEHJEL /

Norimbergensis.

III. NON. OCTOBR..

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

ANNO CHRISTI

1614.

NOBILITATE GENERIS, OMNI-
UMQUE VIRTUTUM SPLENDORE
AMPLISSIMO VIRO,

DN. JACOBO
von Thiel / in Herlach /
Enterendorff / und Mor-
lach /

Parenti suo summa observan-
tia colendo,

Hasce sui studii primitias dedicat
E consecrat
Georgius von Thiel /
Respondens.

NOBILISS. ET PRÆSTANTISS.
DN. RESPONDENTI.

Obile moliris facinus, cultissime THILI,
Atque paras vera Nobilitatis opus,
Dum velut intrepidus miles sub imagine belli
Sectaris sancta cognita signa DICES,
Cominus & Leges opponis Legibus, arma
Armis, & placidi classica Martis amas.
Sedulus huc tendas, hunc tentes sàpè laborem,
Sic quondam dupli ci nomine clarus eris.
Nam quamcunque tibi pepererunt stemmata laude,
Ingenio poterit celsior esse tuo,
Et ceu nunc licito pugnas projure Parentum,
Sic quondam Patriæ tutor & auctor eris.

Johannes Schröterus Præses
Lubens meritoq; faciebam.


Tu ne etiam nostra Themidos jam castra subire
Gestis, GEORGI, & militare
Sub signo illius, mihi quem rarissima virtus,
Candor, fides junxere dudum?

O gene-

O generosum animum ! sic sic caput exsere vulgo ;
Imagines Patrum piorum.
Illustrare etiam propria virtute labora ;
Pergas, feres certo tropicum.
Mnemosyne inscribet vivis tua nomina cedris ,
Teq; ad cohum uehet sonoris
Patria carminibus ; celebrabit laude . PERENNIS
HONORE VIRTUS NAM QUÆ DIGNA .
Lubens meritoque scribebam
Christophorus Hæflichius Norimbergensis
Poëta Cæsarius.

GRatuler ut docto tibi vis Epigrammate, amice .
At nescis , quam sit res mihi curta domi ?
Hoc alii facient , donis quos divus Apollo
Talibus ornavit . His bene cedit opus .
At mibi nequaquam . Quare te spero quietum .
Sic fore : cum sapè sit voluisse satis .
Moris atque amoris ergo faciebam
Emanuel Fendius Lavingano Suerus .





21

DIATRIBARUM

DOMESTICARUM

DECAS SECUNDA.

RESPONDENTE

GEORGIO VON THYSEL/
NORIBERGENSI.

QUESTIO PRIMA.

An iustæ, vers. & servus, Inst. quib. ex caus. man.
non lic. sit accipiens de procurato-
re ad lites?

Agnæ sunt Doctorum digladiationes de minore 25. annis, qui plenam pubertatem seu 18. annum attigit, animirum constitui possit procurator ad lites? Nec desunt tamen negantibus quād affirmantibus rationes prægnantes: quibus tamen utrinque commissis, in posteriorum trahimur sententiam, atque i. ita argumentamur: Si minor non potest fieri procurator ad lites durante tantum causa impedimenti, certum est, quod illa sublata ipsum impedimentum etiam concidat, & admitti possit minor. At prius verum. E. Causa enim, quæ impedit minorem, non consistit in minori aetate, sed tantum in restitutionis in integrum beneficio l. ss. de pro-

D

cur. At-

DIATRIB. DOMESTICAR.

22

cur. Atqui hoc ipsum cessat, quando minor non est Iesus, sed alius quidam, ne majori potius quam minori consulatur, l. 23. de minor. Poterit ergo minor esse procurator ad lites, si à majori constituatur. II. Non minus prætori sua majestas, l. penultim. de justit. & jure, l. 9. de jurisdict. & dignitas est asserenda, l. 1. prin. de pest. quam judicio authoritas, l. 75. de jud. Atqui minor 25. major tamen 17. annis coram prætre postulare potest, dict. l. 1. §. 3. Quidni ergo procurator ad lites constitui, easq; expedire? præsertim cum non debeat ei, cui licet, quod plus est, quod minus est, non licere, l. 21. de R. J. c. cui licet, extr. eod. Advocati autem munus gravius & honoratus est, quam procuratoris, l. 14. C. de adv. div. judicior. l. 7. C. de postul. juncta l. 16. & l. 34. C. de dec. lib. 10. §. fin. I. de except. II. Huc accedit, quod 18. annos natus potest judicare, ita ut sententia valeat, l. 57. de re judic. quanquam legi ad judicium suscipiendum agi nullo modo potest, l. 41. de recept. arbitr. qua in re differt à majore. Vide Dn. Arum. disp. ff. 7. th. 7. sic minor 20. annis consul fieri potest, l. un. §. 2. de off. cons. qui causam tamē manumittendi examinare debeat, ad quod examen magna requiritur judicij dexteritas. Vide Cujac. 22. obs. 16. Don. 18. com. 3. Giph. ad l. 51. de procur. n. 9. & seqq. Dn. Arum. Exerc. 1. thes. ultim. Förster. disp. 2. th. 18. Pac. cent. 2. q. 16. Bronch. cent. 1. ass. 49. Diff. Zanger. p. 2. de except. c. 8. n. 24. Sichard. ad l. 12. C. de procur. n. 10. Duar. de procur. c. 4. Gregor. Tholos. 49. Synt. 4. n. 11. Wes. in Par. ff. de procur. n. 4.

Idem alij conantur probare ex d. §. justæ, v. & servus, I. quib. ex caus. man. non lic. incommodè. Quia ille §. loquitur de procuratore ad negotia, non ad lites, quod ita ostendo. I. quia ex superioribus constat, minorem non rectè ad li-

tescon.



D E C A S II.

tes constitui, quando in integrū restitui potest, d. l. 51. At qui
in hoc casu potest restitui, non tantū ex propria, sed & ex per-
sona domini minoris, l. 3. in fin. & l. 4. de minor. ubi major
dominus restituitur: Ergo minor: Argumentū n. à cōtrario
sensu est validum, si leges non adversentur, l. 1. pr. v. hujus
de off. ejus, cui, & c. l. 20. §. 6. quicq. test. fac. poss. Mat. Steph.
lib. 2. dial. jur. loc. 29. Id quod Justinianum aut compilato-
res ignorasse mihi non sit verisimile. II. Idem lucide appa-
ret ex l. 11. C. de procurat. ubi adultus seu minor non potest
constituere procuratorem: cum enim non possit rebus suis su-
peresse, l. 1. in fin. de min. multò minus dabit procuratorem
ad lites, quæ res non minoris est momenti, quam illa: Fru-
stra & hic queritur: Utrū eā ob causam ipsum manumittere
possit. III. Non facilè procurator ad litem esse potest, nisi qui
literis fuerit edocitus, l. 2. C. de post. Servi autem à liberali-
bus artibus olim sunt prohibiti, & ad sordida officia mecha-
nicaq; opificia ablegati, Bod. lib. 3. de Repu. c. 8. p. 358. aut
sanè raro id accidit, quod leges non habent pensi, l. 3. de LL.
IV. Postremò absurdum videtur, ut patronus à liberto in ju-
dicio defendatur, cuius tamen ipse patrocinium suscepit,
arg. §. item major 13. I. de excus. tut. l. 5. C. de legit. tutor.
Ant. Fab. libr. 1. Jurispr. tit. 6. pr. 7. ill. 4. Hillig. libr. 18.
c. 3. lit. T. Dissentit Cujac. dict. obs. 16. Pac. 2. q. 16.

23

Q UÆSTIO II.

An patria potestas sit juris civilis?

Quemadmodum multa sunt parentum in liberos beneficia,
quibus eos affatim cumulare solent, gignendo, l. ult. §. 1. C.
qui pot. in pignor. leg. 162. inf. educando, l. unic. §. 5. C.
de rei uxoria act. l. 2. de donation. inter vir. & uxores,
alendo, leg. ultim. C. de alend. lib. l. 5. §. 1. de agnos. &

D 2

at. lib.



DIATRIB. DOMESTICAR.

24

al. lib. pro ipsorum salute, tam corporis, l. 8. §. 2. quod met. caus. l. 22. inf. ad L. Jul. de adult. quam animi, l. 14. de serv. expor. nocte dieq; vigilando, l. 42. §. 1. C. de Ep. & Cler. omnemq; soeyn naturalem declarando, l. 15. de inoff. test. l. 3. §. 1. de admin. tut. l. 7. C. de cur. fur. ita vicissim lex natura jubet, ut liberi omnem pietatem parentibus exhibeant, l. 2. de just. & jur. tam matri, quam patri, l. 6. de in jus voc. l. 4. de cur. fur. l. 1. & 2. tot. tit. de obseq. par. & patron. eosq; nec verbis, nec factis ledant, l. un. C. de ingrat. liber. Nov. 115. c. 3. Hinc queritur: An patria potestas sit ex eodem jure naturali, an vero civili? Nos ea in ratione naturali fundamentum habere, sed ex civili jure descendere propugnabimus. I. per expressum textum §. 2. I. de patr. potest. ubi Imp. nullas alias gentes talem habere potestatem asserit, qualem Cives Romani: id quod J. Ctus Gajus clarius ita effert: In potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptijs procreavimus: quod jus proprium Civium Romanorum est: Si ergo proprium est Civium Romanorum, habere liberos in potestate, qua fronte id acceptū feremus jur gentium? II. Id est juris civilis, quod neque in totum à jure naturali recedit, nec per omnia ei servit, sed ei vel aliquid addit, vel detrahit, l. 6. de just. & jur. seu quod ex ratione civili est introductum, Anton. Fab. 1. Jur. tit. 2. pr. 5. At qui potestas patria talis est: Licet n. f. C. naturalem reverentiam utrique parentis debitam tueatur, l. 2. C. de in jus voc. tamen potestatem inaequalem tribuit, l. 4. de cur. fur. imo eam soli patri assignat, non autem matri, §. 10. I. de adopt. l. 4. §. 2. de bon. poss. contab. unde etiam patria, tot. tit. I. & C. de patr. pot. vinculum familiæ, l. 87. de acquir. her. jus patrum, l. 131. in fin. pr. de V. O. sacra patris, l. 20. C. de nupt. l. pen. §. 4. C. de

adopt.

adopt. dicitur. Hinc solus pater suos habet heredes, l. 1. de suis & leg. non mater, l. 13. eod. patris tantum consensus in nuptijs filij requiritur, l. 2. de rit. nupt. cum filio habetur pro una persona, l. ultim. C. de imp. & al. subst. l. 16. defurt. pupillariter substituere, l. 2. de V. & P. S. moderate castigare, l. 2. ad L. Corn. de Sicar. l. 3. C. de patr. potest. (olim etiam occidere, l. 11. de lib. & post. l. ult. C. de patr. potest. l. 22. inf. de adult.) & necessitatis casu vendere, l. 2. & rubric. Codic. de patr. qui fil. distrax.. Contrà filius soli patri acquirit, l. 79. de acquir. her. l. 1. pr. si à par. quis man. l. 7. de pæt. dot. cum patre contrahere, l. 50. ad SC. Trebell. & litigare nequit, l. 4. de Jud. & quæ sunt similia. In hoc igitur iuris gentium aliquid est additum ex ratione quadam civili, non naturali. Ex hac siquidem si progrediendum fuisset, matri potius, quam patri deberetur potestas in liberos, per Nov. 162. inf. III. Ratio autem civilis, cur patri tanquam premium quoddam potestas est concessa, fuit conservatio & propagatio familiarum, quæ ut salva sint Reipublicæ inter-est, leg. 1. §. 13. de ventr. insp. Quemadmodum autem per fœminas familia non amplificatur, quin potius cum illis interit, l. 195. inf. de V. S. ita multò minus sine legitimis nuptijs & viris, leg. 196. & l. 220. §. f. d. t. generis memoria relinquitur, Nov. 22. pr. Filij enim sunt columnæ familiarū, Eurip. in Iphigen. Stobæ. serm. 77. p. 174. Quare ut mares allicerent ad matrimonia contrahenda, hoc tanquam premium proposuerunt patribus, ut haberent in liberos jus vita & uccis, l. 11. de lib. & post. l. ult. C. de patr. pot. (quod tam progressu temporis est mitigatum, l. 5. de parricid. l. un. C. de his, qui par. vel lib.) atque ita in liberos immorigerros domestica castigatione animadverterent, l. 17. prin. de-

DIATRIB. DOMESTICAR.

26

furt. Vid. Ant. Fab. 1. Jurispr. t. 8. pr. 1. pag. 291, IV.
Hinc Ulp. in l. 8. pr. de his, qui sunt sui, jus potestatis, ait,
moribus esse receptum. Mores autem licet interdum sumā-
tur pro jure gentium, l. 8. l. 39. derit. nupt. l. 35. de V. O.
sapè tamen pro J. C. non scripto usurpantur, l. 2. pr. de V. &
P. S. §. sine scripto I. de J. N. G. & C. l. 15. ff. de inj. l. 1. §.
1. ad SC. Vell. l. 12. §. 2. de jud. Alciat. 4. parerg. 21. A.
Fab. 3. semest. 14. Duar. ad l. 14. §. eleganter, verb. con-
trabon. mor. sol. matr. Etenim si fides habenda Dionys. Ha-
licarnass. lib. 2. patria potestas tempore Romuli cœpit. V.
Accedit, quod soli Cives Romani sint in potestate patris, l.
18. de stat. hom. non alijs, imò ne quidem liberi naturales, §.
si adversus, I. de nupt. l. 19. l. 24. d. t. de stat. hom. Quod
sanè absurdum foret, si ex jure gentium originem haberet.
VI. Postremò alijs omissis hoc addam, quod potestas patria
sit quodammodo contrajus naturæ, eiq; repugnet: Jus enim
naturæ ita comparatum est, ut parentes acquirant, & illis
thesaurizent, l. 7. pr. de bon. damn. l. 15. de inoff. test. l.
50. §. 2. de bon. libert. Jure civili contrà liberi acquirunt
patri, l. 29. de acquir. her. §. 1. I. per quas personas cuique
acquir. Hottom, & Cujac. ad tit. de patr. pot. Wes. ibid.
ad §. fin. Wegner. disp. 2. th. 2. lit. E, Hanon. disp. 2. th.
2. Wölner. disp. 2. th. 1. Ant. Fab. d. l. Diff. Coras. ad l.
3. de his qui sunt sui, &c. Bodin. 1. de Rep. c. 4. Alb.
Gentil. libr. 4. de nupt. c. 1. Clarissim. Vir
Scip. Gentil. de bon. matern. cap. 1.
Forst. disp. 3. th. 13.

QUÆSTIO

An jure naturali parentum consensus ad nuptias liberorum requiratur?

Nuptias maritalis affectio, l. 32. §. 13. de don. inter vir. & ux. affectus alternus, Nov. 22. c. 3. seu consensus contrahentium mutuus facere dicitur, l. 30. de R. f. l. 15. de cond. & dē. l. 11. de sponsal. ita tamē ut ille sit legitimus, pr. I de nup. Cum a. velle non credatur, qui obsequitur imperio patris, vet domini, l. 4. de R. f. ideo filius f. quādiu est in potestate patris sine consensu ejus nuptias non recte contrahit, l. 2. l. 9. l. 18. derit. nup. l. 12. C. cod. l. 11. de stat. h. idq; in jure Rom. tam in filia, quām filio f. civilem habet rationem. In filia, quidem, ne matrimonia benē concordantia jure patria potestatis turbentur, l. 1. inf. de lib. exhib. quib. pater non consensit: Raptus n. esset si quis filiam meam à meo domo insuam me invito abduceret, A Fab. 1. Fur. t. 9. pr. 4. pag. 424. Nec mihi improbatur ea, quam Ægid. Hortens. ad pr. t. I. de nupt. ex jure veteri deducit, quo matrimonium per coëmissionem seu conventionem in manum viri siebat, Ulp. t. 11. atq; fœmina in potestatem mariti transibat. Quemadmodū igitur pater non cogebatur liberos emancipare invitum, l. 31. de adop. l. 4. C. de emanc. lib. 1. p. unde lib. nisi certis de causis, l. 92. de cond. & demon. l. 5. si à par. quis man. Ita nec sine ejus consensu per nuptias potestate ejus filia liberaretur. Ratio in filio f. nota est, ne scilicet patri in vito agnascatur suus heres. Atq; hec ex jure civili promanant. Idemne etiam de jure naturali dicendum. In negantium castra transibimus. I. Jus civile ut in natura non per omnia servit, ita nunquam in totū ab eare cedit, l. 6. de justit. & jur. Quod si ergo consensus parentum requiretur etiam ex Jure Naturæ, dicendum

omnino

DIATRIB. DOMESTICAR.

28

omnino è esset, quod penitus ab eo jus civile fecisset divortium, in eo, quod non requirit consensum matris, (comparatur n. curatori, l. 1. & 20. C. de nupt. cuius consensum de necessitate non requiri notum est ex l. 8. C. eod. & l. 20. ff. dict. t. sed patris duntaxat, qui filium habet in potestate, d. l. 2. de rit. nupt. non autem ejus, qui filium emancipavit, l. 25. eod. l. 3. §. 5. de bon. poss. cont. tab. cum tamen ius naturæ nec inter masculum & fœminam, l. 14. pr. C. de leg. ber. l. 4. C. de lib. præter. nec inter patrem & matrē distinguat, sed omnib. ex a quo eandem reverentiam tribuat, l. 4. de cur. fur. & passim. Sic jus civile distinguit inter filios & emancipatos, d. l. 25. de rit. nupt. inter filios & filias, l. 18. l. 25. C. eod. quod itidem non facit natura, quæ omnes jubet parentibus parere, l. 2. de just. & jur. l. 2. C. de injus voc. Sic in d. l. 18. & l. 25. consensus parentum definitur 25. annis, quod tamen omnino fieri non posset, si natura eum requireret, quæ est perpetua. & immutabilis, §. sed naturalia, Inst. de jure nat. gent. & civ. Absurdum ergo foret, si diceremus, jus civile hac in re recessisse à JURE NATURALI, aut illud correxisse & sustulisse, l. 8. de cap. min. lex enim inferioris non potest tollere legem superioris, l. 4. de recept. arbitr. l. 13. §. 4. ad SC. Trebell. II. Ulterius ita pergimus: Cujus juris est causa exigens consensum parentum, ejusdem juris etiam est necessitas consensus, arg. l. 4. de just. & jur. l. 30. §. pen. ad Leg. Aquil. nisi demus effectum priorem esse suacausa. Causa autem exigens est patria potestas & civilis, ut in quest. præced. monstratum est. Ergo ipsa etiam necessitas erit ex jure civili, & per conseq. falsò adscribetur jurigentium. III. Porro jus civile nihil tollit nisi civile, §. ult. I. de leg. agnat. tut. l. 35. de R. J. Atqui paterni consensus necessitas per emancipationē,

civilem



DECAS II.

civilem modum, tollitur, l. 25. derit. nupt. Cont. lib. 1. sub.
cif. c. 4. n. 1. Ant. Fab. 1. Jur. tit. 9. pr. 3. pag. 424. Giph. ad
leg. 30. de R. J. & ad pr. t. Inst. de nupt. Hortens. & Wes.
ibid. Ant. Guibert. lib. 1. quæst. memor. c. 12. Diss. Borcholt.
de gradib. pag. 38. Henon. disput. 2. tb. 3. membr. 2. Bronch.
cent. 3. q. 1. Förster. disp. 3. tb. 19. Gothof. int. 25. derit. nupt.
Wegner. disp. 2. tb. 5. lit. D. Ant. Cöter. disp. 2. tb. 18. lit. D.

29

QUÆSTIO IV.

An pater teneatur dotare filiam etiam
locupletem?

Multæ sunt matrimonij difficultates, l. un. C. de impon.
lucrat. descr. lib. 10. quas maritus sustinere cogitur, l. 20.
§. 2. fam. ber. quod ut commodius fiat, quasi sacra quod-
dam laboris, ipsi datur dos, l. 7. l. 56. §. 1. l. 75. in f. de jure
dot. l. 21. §. 1. de don. inter vir. & uxor. Unde fit, ut indota-
tæ non facile inveniant viros, l. 2. de jure dot. l. 18. de reb.
aut b. jud. poss. aut male à maritis habeantur, l. ult. ad SC.
Vell. Quare ad officium patris vel maximè spectat, ut filiam
suam dotet, l. ul. C. de dot. prom. in modo id facere debet, l. 6. de
collat. bon. & cogitur, l. 19. derit. nupt. Cypræ. de sponsal. c.
6. §. 2. n. 7. Hottom. disp. jur. de dot. c. 3. n. 18. An autem ea-
dem necessitas obtineat in filia locuplete, nō abs re queritur?
Affirmativa nobis verior videtur. I. Quia ad d. LL. loquun-
tur generaliter, nullumq; discrimen inter filiam divitem &
pauperem faciunt: nostrum ergo non erit distinguere, l. 8.
de publ. in rem act. II. Quid quodd. l. ult. C. de dot. promis.
loquitur de filia, que propriam habet substantiam: & tamen
regulam: Paternum esse officium dotem dare pro sua proge-
nie, ad filiam pauperem non restringit sed & ad locupletem
extendit. Nec est, quod Alciatus libr. 8. Parerg. capit. 3.

E

κεησΦύ-



DIATRIB. DOMESTICAR.

30

mens. *Φύγετον* quarat in distinctione officij & necessitatis: quamquam n. illam suis terminis permittimus, leg. 17. §. 3. commod. hoc loco tamen probare non possumus, tum propter verbum „COGUNTUR in d. l. 19. & vocē DEBET in d. l. 6. adhibitā, quib. locis necessitatē patri impositam, quis ita cœcus est, ut nō videat? tum etiam, quod verbum officij nō semper significet voluntatem, sed səpē etiā necessitatē, l. 21. de reb. cred. quod Durar. ad t. solu. matr. de dotib. c. 3. probat per rub. de off. præt. off. præf. off. proc. &c. III. Surrogatum sapit naturam ejus, in cuius locū surrogatur, l. 1. §. 10. v. nam si ff si is, qui test. lib. §. fuerat, I. de act. Eberh. in loc. à vi surrog. At quid os interdum succedit in locum legitimæ, quando nimurum ad excludendam, inofficio si querelā in eam est imputanda, l. 29. C. de inoff. test. Ergò etiam ipsius legitimæ naturam induit, quæ hac est, ut nō tantum liberis inopibus, sed & divitibus debeatur, Nov: 115. c. 3. IV. Præterea magnus est dotiam favor, l. 1. sol. mat. & in dubio pro illis respondere melius est, l. 70. de jure dot. l. 85. de R. J. Casus a. hic ex parte adversariorum est dubius, cum omni destinatur juris textu. Ergò potius est ut dotem filiæ etiam divitiis artam & tecum defendamus, ne aliquin fortuna, quæ prodesse votuit, noceat. V. Quim & patris ipsius interest, ut filiam habeat dotatam, l. 71. de evict. ean. sine liberis defuncta ad ipsum os revertitur, l. 17. de SC. Maced. l. 6. pr. de jure dot. l. 4. C. sol. matr. licet cum voto ejus ita contrahatur, ut semper sit cum marito, l. 1. d. t. de jure dot. Giph. ad l. ul. C. de dot. promiss. Ant. Guibert. de dotib. c. 3. n. 13. Diff. Alciat. d. l. Duar. d. c. 3. Coras. ad l. 19. de rit. nup. Conn. lib. 8. com. c. 8. n. 7. Fach. lib. 10. con. c. 38.

QUE-



An ratihabitio locum habeat in nuptiis?

Utilis & ardua quæstio est de ratihabitione parentis nuptiis liberorum contractis accedente, an nimirum faciat, ut liberi ex ejusmodi matrimonio prognati, sint legitimi ab initio contractarum nuptiarum, an vero à momento impetratae ratihabitionis? Medium est optimum, i.e. si pars her. pet. Nov. 105. pr. ideoq; distinguimus, utrum pater ab initio contradixerit nuptijs, an vero ignorans nuptias contractas esse, postea eas ratas habuerit? Et posteriori hoc casu eam locum habere afferimus. I. Quia ad legitimas filij nuptias non requiritur consensus parentis expressus, sed sufficit, si non expressè contradicat, l. 7. inf. de sponsal. l. 5. & l. 25. C. de nupt. ubi de parente furioso hoc affirmatur, qui cum ignorantे l. 4. de divorc. & rep. recte comparatur. Atqui pater hic nunquam contradixit, non tempore contracti matrimonij, quia nescivit: non etiam tempore ratihabitionis, quia jam nuptias confirmat, atq; ita consensum, qui anteà latebat, exprimit. II. Quia alius quilibet potest renunciare juri & favori pro se introducto, l. 51. C. de Ep. & Cler. l. pen. C. de pact. Novel. 136. c. 1. Necesitas a. consensus paterni data est patri in ipsius favorem, prerogativa quadam speciali, uti ex q. 2. rat. 3. constat. Ergo huic etiam si voluerit, renunciare poterit tacendo, tacitumq; consensum ratihabitione declarando. III. Quia & in alijs ratihabitio mandato comparatur, l. 12. inf. de solut. l. ult. C. ad SC. Maced. l. 60. de reg. jur. etiam in illis actibus, in quibus filius sine patrenibili facere potest, leg. 6. §. 1. de acquirend. hereditat. l. 3. §. 7. l. ult. de bo. poss. l. 65. pr. ad SC. Treb. & semper retrotrahitur, l. 16. §. 1. de pig. In quo etiā differt ratihabitio à jussu & mandato,

que pertinent ad negotia futura, l. 12. §. 14. mandat. l. 25. §. 4. de acquir. her. Et ab authoritate, que ad presenti referuntur, l. 3. de auth. tut. §. tutor Inst. eod. Illa autem ad præterita, ut ex dictis legibus constat. IV. Quia quādiu pater ignorat, tamdiu de ipsius dissensu nihil certi constat. sunt igitur inpendenti, ita ut si postea cognitis illis non contradicat, valeat etiam ab initio; sin verò contradicat, amittant vim Et valorem, arg. l. 22. §. 2. de capt. Et postlim. non enim planè sunt injustæ nuptiæ, cum patre non in vito sint contractæ; nec planæ justæ, cum de consensu ejus dubitetur, l. 68. de jure dot. VI. de Marc. Lycklamam. 7. membr. 18. Ant. Guibert. de matr. c. 4. n. 111. Wes. ad pr. Inst. de nupt. Bronch. cent. 3. ass. 4. Diff. Cont. 1. disput. 7. Hottom. ill. q. 9. Cujac. 3. obs. 5. Vult. lib. 1. Jurispr. c. 18. n. 91. Förster. disp. 3. th. 21. Harprecht. ad pr. Inst. de nupt. n. 63. Rober. disp. 2. th. 5. Wegner. disp. 2. th. 5. lit. D. Encl. Don. lib. 13. c. 20. lit. L.

QUÆSTIO VI.

An maritus uxorem refractariam verberibus
coercere possit?

Hubertus Giphanus antecessor quondam Altorsinus egrius, ad l. 8. §. 2. de repud. refert ex Friderico ab Heterstein Legato Friderici Imperatoris ad Moscos, apud dictum populum moris esse, ut uxores sèpius vapulent à maritis: fœminas enim nisi frequenter verberentur, conquerit se à maritis non amari. Insigne affectus Et pietatis conjugalis testimonium! Hinc dubium movetur: An maritus conjugem, parum obsequentem plagis afficere possit? Negativa nobis arridet. I. Quia verbera ab ingenuis fœminis aliena sunt instantum, ut si uxor conqueratur Et probari possit, se à marito plagis exceptam, detur divortium, d. l. 8. §. 2. C. de reput.

II. Ma-

DECAS II.

33

II. Major est pietas patris erga filiam, quam mariti erga uxorem, l. 22. §. fin. de adult. major itidem potestas illius, quam hujus, l. 2. §. 1. sol. matr. l. 7. C. de nupt. l. 1. §. ult. de lib. exhib. Et tamen non licet in filium vel filiam debacchari & sevire, l. 5. de L. Pomp. de parricid. ita ut etiam nexus ille divinus, l. 10. pr. C. de adopt. & inestimabilis potestas, l. 114. §. 8. propter filium contra pietatem male tractatum dissolvatur, l. ult. si à par. quis man. Multò magis igitur licentia illa marito erit adimenda, & impetus facile decernentis & servientis viri reprehendus, d. l. 22. in fine.

III. Quia uxor est mariti socia, leg. 4. de crim. expil. her. particeps divini & humani juris, l. 1. derit. nupt. vitæ, l. 1. de act. rer. amot. familiae & domus consors, l. 1. §. 15. de SC. Silan. Socij autem inter se juxta fraternitatis habent, l. 63. pro soc. inter quos discordia nuda, (nendum verbera) est summo studio cavenda, l. 6. §. 2. inf. C. de bon. que lib. Multò magis igitur inter conjuges. IV. Exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis, l. 12. §. 43. de instrum. & instr. leg. l. 12. prin. de jud. Nos autem pro nostra sententia ponimus regulam, cuius exceptio est in Nov. 117. c. 14. juncto cap. 8. ubi certæ quedam causæ recensentur, ob quas uxor à marito vapulare potest. Ergo sequitur quod extra eas contrarium sit dicendum. 5. Quia maritus debet uxori suæ pietatem & affectionem, l. 41. pr. de leg. 1. Pietas autem non consistit in atrocitate aut fustibus, l. 5. de parricid. sed potius in communione bonorum & malorum, leg. 22. §. 7. sol. matrim. VI. Idem exigunt etiam divinarum scripturarum oracula, Ephes. 5. v. 25. ubi maritus jubetur unicè diligere uxorem, ut CHRISTUS Ecclesiam, Coloss. 3. vers. 19. omnis amarulætia abesse jubetur. Pet. 3. v. 7. uxori debetur honor:

E 3

Multò

Multò magis igitur venia, Don. 13. com. 21. Dan. lib. 2. Ethic. Christ. c. 13. Steph. Guazz. libr. 3. civil. convers. pag. 456. Cas. lib. 1. sph. civ. c. 1. inf. Tiraq. l. connub. 8. n. 10. & seqq. Cöler. disp. 2. prob. 4. Diff. Cram. disp. 2. th. fin. Arnis. libr. 1. Pol. c. 3. p. 84. Quanquam interim non negamus, uxorem marito debere reverentiam, l. 1. §. 7. C. de rei uxor. act. l. 14. §. ult. solu. matr. non tantum verbis, l. 88. §. 2. l. 57. de don. int. vir. & ux. l. 41. §. 4. de leg. 3. sed & re ipsa exhibendam, l. 48. de oper. lib.

QUÆSTI O VII.

An propter vitium Sponsæ illatum matrimonium dissolvi possit?

Quanquam leges civiles plerumq; ad liberandum, quām ad ligandum sunt prōiores, l. 47. de O. & A. id tamen nec semper, nec indiscretē sequuntur, l. 5. de O. & A. l. 17. §. 3. comm. Etenim quod semel placuit, displicere ulterius nequit, l. 9. de negot. gest. l. 8. §. 6. quib. mod. pign. solv. l. 1. §. 10. de separat. præsertim ubi alterius versatur injuria, l. 75. de R. f. Id quod tātō facilius in matrimonio admittendum, quanto fortius & arctius est vinculum, utrumq; conjugem constringens, quod eo animo contrahitur, ut sit perpetuum, l. 1. de jure dot. & continet individuam vitæ consuetudinem, §. 1. I. de patr. potest. Verūm quia male hominum voluntates ad plenum prohiberi non possunt, c. hac ratione 31. q. 1. ideo non tantum jure divino, vide decad. 1. q. 1. inf. sed etiā civil certæ causæ inductæ sunt, l. 8. C. de repud. & Novell. 117. ex quibus divortium non tam precipitur, d. c. hac ratione, quām permittitur, c. nervi, §. est tamen, dist. 13. Est enim interdum absurdum aliquid permitendum, ne absurdius sequatur, l. 51. §. pen. ad l. Aquil. l. 88. pr.

ad l.

DECAS II.

35

ad l. Falcid. Inter duo mala minimum eligendum, l. 200. de R. J. c. 1. d. dist. 13. An autem inter causas divortij permissas, etiam sit collocandum vitium sponsae illatum, tam inter Theologos, quam iustos s^ep^e quæsitum est? Nos licet à jure canonico negativam approbatam non ignoremus, c. 29. q. 1. c. quæ admodū, ex. de jurej. affirmativā recte defendi posse putāus, idq^s sic probāus: Vitiū sponsae illatū est aut antespousalia, aut post. Si ante sponsalia vitiata est, tum divortium quidem ut interveniat, necesse non est, quia matrimonium non fuit; sed repudium permittitur. I. Quia ad omne conjugium tanquam causa efficiens proxima requiritur consensus, l. 15. de cond. & dem. l. 30. de R. J. l. 20. C. de nupt. l. pen. C. de incest. nup. l. 11. pr. C. de repud. At quis hic consensum intervenisse putet, ubi vel maximus est error? l. 15 de jurisd. l. 2. de jud. l. 116. in f. de R. J. Sponsus enim dum dicit sponsam, non consentit simpliciter in personam sponsae, qua talis, sed quatenus est casta & honesta, argument. leg. 11. §. penultim. ad l. Jul. de adult. Est ergo error hic non in nuda qualitate, sed quodammodo in ipsare, qui utique vitiat contractum, c. tua, de sponsal. c. un. 29. q. 7. l. 8. de jur. & fact. ignor. quemadmodum si quis ancillam pro libera emit, l. 11. §. 5. de act. empt. II. Accedit, quod ubi forma rei nō adest, nec ipsares subsistere possit, l. 13. §. 1. de V. O. l. 36. pr. de usuf. l. 3. §. 1. commod. hæc n. est cuiusq^s res major pars, & dat ipse esse, l. 9. §. 3. ad exhib. Ea verò in hoc negotio cōsistit in mutua affectione, l. 32. §. 13. de don. int. vir. & ux. Novell. 22. c. 3. Nov. 117. c. 4. in f. l. 11. C. de natur lib. in divini & humani juris, l. 1. de rit. nupt. seu rerum divinarum & humanarū, l. 4. C. de crimin. expil. her. bonorum & malorum communione, l. 22. §. 7. sol. matr. Inter vitiatam verē & maritum (ut eum ἀνθρώποι enīs ita appellē) non est animorū conjunctio, sed alienatio;

non amor

DIATRIB. DOMESTICAR.

36

non amor, sed odium: non concordia, sed dissidium, uti pulcbrè ostendit Imp. Leo in Nov. 93. Ergò nec forma matrimonij: Ergò nec matrimonium. III. Tralatitium est, quod dolus malus, qui dedit causam contractui bona& fidei, ipsum faciat ipso jure esse nullum, l. 7. princ. de dol. mal. l. 3. inf. pro soc. Vide Treutl. vol. 1. disp. 28. tb. 2. lit. F. quod idem in matrimonio dicendum, cum sit societas, l. 1. rer. amot. Först. disp. 3. tb. 8. Et sic bona& fidei contractus, l. 3. C. pro soc. l. 78. Et l. seq. ff. eod. §. 28. I. de act. In primis vero quia qui fallitur, no paciscitur, vel non videtur consentire, l. 9. §. 2. de transact. Tiraq. in l. si unquam in prefat. n. 97. C. de revocat. donat. Martin. Benckendorph. in Rep. l. fæmina, de R. J. fol. 693. Et hinc est, quod dicitur dolum malum à contractibus bona& fidei abesse oportere, l. 6. §. fin. de act. empt. Reliqua brevitas omitto, Et ad alterum disjunctivæ nostræ membrum me accingo.

Quod si igitur post sponsalia celebrata deflorata est sponsa, iam datur divorcium. I. Quia Sponsus habetur pro marito & genero, l. 5. de test. l. 8. l. 6. §. 1. de gradib. & affin. sicut & sponsa habetur pro uxore, l. 74. de jure dot. l. 13. §. 3. de adult. l. 5. C. de bon. quæ lib. Atqui maritus qui uxorem in adulterio deprehensam non dimittit, lenociniū exerceat, l. 2. §. 9. l. 29. pr. ad L. Jul. de adult. l. 37. §. 1. de minor. II. Hinc etiam in jure divino sponsa vitiata eandem pœnam sustinuit, quam adultera, ut patet ex c. 22. Deut. vers. 20. Et seq. Levitic. 20. v. 10. III. Quia contraria sententia admissa uxori fallaci prodeisset dolus, quod est iniquum, l. 134. in f. de R. J. l. 2. de eo, per quem fact. est, l. 12. de dol. mal. cum potius debeat puniri, l. 4. §. 2. de noxal. act. IV. Præterea, quod multa incommoda inde orirentur, si maritus ejusmodi uxore

retine-

DECAS II.

retinere cogeretur, c. 12. § 14. de sponsal. cum coactiones plerumq; soleant difficiles habere exitus, et requisivit 17. d. t. Consentient nobiscum ex Theologis, Luther. tom. 4. Jen. Germ. t. Antwort vnd Bericht D. Mart. Lutheri auss eine Ehesache, Et tom. 2. Germ. t. Vom ehelichen Leben pag. 168. Simon Pauli in meth. 4. par. de conjug. pag. 42. Wigand. de divor. tit. de sponsal. Et stupr. pag. 182. Beza in tr. de divor. pag. 77. Et alij. Ex Jurisconsultis, Sneider. de nupt. p. 4. n. 59. Alb. Gent. lib. 6. de nupt. c. 13. Nic. Reusn. lib. 1. consult. jur. q. 5. Dn. Arum. Exer. 2. th. 15. Hæn. disp. 2. th. 7. Wegner. disp. 2. th. 5. lit. c. Vid. Speckhan. cent. 2. class. 2. q. 7. Diff. Wes. in Par. ff. de rit. nupt. num. 8. Först. disp. 3. th. 23. Wölner. disp. 2. th. 12. Et quodammodo Hiero. Setzer. disp. 2. th. 5. cuius tamē limitationem, ut Et alias, prompti admittimus.

37

QUÆSTIO VIII.

An legitimatio per subsequens matrimonium fieri possit sine dotalibus instrumentis?

Quemadmodum Reip. interest, ut hominum potius, quam pecuniarum adjectione augeatur, l. 7. §. 3. de bon. dam. ita vel maximè refert, ut id fiat incremento civium legitimè natorum, l. 2. in f. C. de indict. vid. toll. non tantum ut genus hominum conservetur, Nov. 39. pr. Et Nov. Leon. 26. pr. sed Et ut generis prosapia renovetur, Novell. 22. pr. ejusq; perpetua memoria, l. 220. §. f. de V. S. cum familiarum dignitate incolmis perseveret, l. 1. §. 13. de insp. ventr. Hinc certi quidam modi iure civili reperti, quibus vel ab initio legitimi liberi nascuntur, vel postea efficiuntur: Inter quos non est postrema classis ille, qui fit per subsequens matrimonium, Nov. 89. Et N. 94. §. ult. l. de nupt. quo omnia vita præterita ita per purgantur, ut nullum labis supersit vestigium, c. tanta ext. qui fil. sint leg. An

F

autem

DIATRIB. DOMESTICAR.

38.

autem ad hujusmodi legitimationē requirantur instrumēta dotalia? Dubio non caret. Non putāis. I. Hoc n. indubitū est, legitimationem hanc tantummodo dependere ex subsequentे matrimonio, ad cuius essentiam requiritur cōsensus, l. 30. de R. f. 1. 15. de condit. & demon. l. 13. l. 22. C. de nupt. non a. dos. Licet n. hæc sine illo non subsistat, l. 3. de jure dot. illud tamen sine hac optimè, Nov. 22. c. 3. Posita igitur causa beneficii, ipsum etiam beneficium ponī necesse est, l. 68. de R. f. Quorsum ergò instrumenta? ad probationem, Nov. 117. c. 4. non ad affectionem matrimonialem inducendam, l. 10. C. de nat. lib. II. Quod insuper expresse constat ex l. 4. §. 4. C. de adv. diū. judicū & d. N. 117. c. ubi non est fortior effectus nuptiarum cum dotalibus instrumentis contractarum, quæm earum, quæ hisce fuerunt destituta: omne n. jus ex solo affectu metitur Imperator. III. Huc facit, quod legitimatio fieri potest per matrimonium in ultimo vitæ articulo contractum, uti docet Gail. 2. obs. 141. num. 8. Borch de gradib. p. 188. Bronch. cent. 1. misc. 97. Hænon. disp. 2. th. 15. per l. 106. de cond. & dem. Nulla n. actas huic rei impedimento est, l. 6. pr. de lib. & post. Dotis a. constitutio ad orcum abiturient nihil proderit. IV. Ad stipulatur nobis jus canonicum, d. c. tanta, ex. qui fil. sint leg. Vid. Gail. d. obs. 141. n. 3. Förster. lib. 6. de success. c. 21. n. 6. & seqq. Cuij 13. obs. 4. Don. 2. com. 21. Dn. Arū. Ex. 2. th. 16. Goth. in l. 11. pr. C. de rep. Bronc. d. aff. 97. Diff. Fach. lib. 1. contr. 51. Borch. ad §. f. de nupt. & intr. de grad. p. 188. Speckhan. cent. 2. class. 2. q. 5. n. 7. Elias Rober. disp. 3. th. 2. Hænon. disp. 2. th. 18. Wegner. disp. 2. th. 7. lit. D.

QUÆSTIO IX.

An Quarta Divi Pii sit omnium bonorum, an v. tantum ejus portionis, quæ ab intestato esset futura?

Cum in arrogatione magnum versetur momentum, l. 2. §.

fin. l.

fin. l. 15. pr. l. 40. pr. de adopt. §. per. I. eod. ita ut si quis dando se
in arrogandum cum capite fortunas quoq; suas in familiam,
& domum alienam transferat, l. 11. §. 2. de bono. possess. sec. tab.
ideo impuberes non possunt arrogari, nisi per principale re-
scriptum, & causa cognita, de qua est in l. 17. §. 2. 3. & 4. ff. de
adop. & nisi arrogans cautionem de bonis pupilli arrogati re-
stituendis prestat, l. 18. & seqq. d. t. Quibus & hoc fuit additū,
ut si arrogator filiū sine causa emancipet, vel exhiberedet: co-
gatur ipsi restituere omnia, quae ad ipsum pervenerunt, atque
insuper quartam partem suorum bonorum relinquere, §. 3. I.
d. t. Scilicet extraneus affectus non est magnus, l. 7. C. de cur-
fur. & facile in arrogati prejudicium dissolvi potest: ubi igitur
natura non est satis valida, legibus succurrendum est, ut
in hoc casu Divi Pij constitutione factum, l. 2. de adopt. Quæ ta-
men an sit accipienda de quarta omnium bonorum, queritur.
Affirmativa nobis placet. I. Per l. ul. si quid in fr. patr. ubi de-
betur arrogato 4. omn. bon. quæ mortis tempore defuncti fu-
erunt. Non tantum a. legitima ab intestato debita fuit arro-
gatoris, sed omnia & universa. E. ex hisce omnibus quarta erit
deducenda. Quod innuit l. 2. C. de adopt. l. 1. §. 21. de collat. bo.
II. Quia quarta hec dicuntur & alienum, l. 8. §. 15. de inoff. test
principali providentia ex bonis arrogatoris deducendum, l.
22. §. 1. de adopt. III. Cum igitur versemur in certis, locus non
est conjecturis, l. 25. §. 1. de leg. 3. l. 137. §. 2. in f. de V. O. Tuentur
hanc sententiam, Don. 2. com. 23. Vaud. 1. q. 29. Govean. 1. var.
c. 5. n. 19. Treut. vol. 1. disp. 2. th. 9. lit. E. Borch. ad §. 3. I. de adop.
Dn. Arum. Exerc. 2. th. 19. Rober. disp. 3. coro. 2. Hoen. disp. 2. th.
23. Wegner. disp. 2. th. 8. lit. N. Diff. Accurs. in l. 22. de
adopt. Jas. ibid. Myns. Sneid. Wes. add. §. 3. Vult.
ibid. & lib. 1. J. R. c. 22.

DIATRIB. DOMESTICAR. DEC. II.

40

An exhæredatio dissolvat patriam potestatem?
Quia providentia Romanijus patriæ potestatis introduxit, dictū est in q.2. Id v. cum fuerit inestimabile, l. 114. §. 8. de leg. I. Et quodammodo divinum, l. pen. pr. C. de adop. nō facile solutum est, nisi certis de causis, t. I. quib. mod. jus p. pos. toll. Quib. alijs exhæredationem addunt. Non recte. I. Quia in l. 20. pr. de bon. poss. contr. tab. exhæredatus dicitur mansisse in potestate. II. Idē dilucidè colligitur ex eo, quia effectus pat. p. Et post exhæredat. maneāt, ut substitutio pup. l. 1. §. 2. de V. Et P. S. ju. pr. I. t. de P. S. datio tut. l. 4. l. 10. §. 2. l. 31. de test. tut. j. §. 3. I. de tut. l. 73. §. 1. de R. f. Suitas, arg. l. 6. pr. de lib. Et post. unde exhæredatus retinet jus sacrorum, l. 6. de relig. quod tribuit patria potestas, l. 6. pr. C. de bon. que lib. l. 20. C. de nupt. jus familiæ, l. ult. unde leg. l. 46. fam. herc. quod ex eodem fonte promat, l. 87. de acq. her. Et c. An. Fab. 9. conj. 20. Först. 2. de succ. ab int. c. 18. n. 40. Först. Jun. diff. 13. tb. 30. Hott. 9. obs. c. 10. Diff. Don. 7. com. c. 2. Vacon. 3. decl. 50. n. 6. Et seqq.
Govean. I. var. 5. n. 16. Sed satis.



DIATRIB.

00 A 6440



3

VDA

Retro ✓




Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black

Centimetres Inches



276